

IACOBVS STVRTZELIVS IVRECONS VLTVS.



Jacobus honestis parentibus natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Is cum prima literarum fundamenta in patria iecisset, se se hinc inde ad uarias academias contulit, & Iurisprudentie operam dedit. In ea scientia adeo profecit, ut omnium consensu Legum Doctor creatus fuerit. Acecdebat & multarum linguarum cognitio, atque singularis eloquentia. Id cum Ferdinandus rex intellexisset, eum inter consiliarios adoptauit, atque Oeniponti res magnas expedire iussit. Postea quoque 1536 hunc Iacobum ad Heluetios legatum misit, atque ipsis persuasit, ne Gallo contra Cæsarem fratrem suspectias ferrent. Hęc & alia cum Jacobus magna passim dexteritate expediret, Cæsari & regi gratissimus fuit, & inter eorum consiliarios in magna existimatione uixit. Sleid. lib. 10.